



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

De maris & fœminæ ad procreandum concursu

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

lunæ motum. His enim verbis est apud ipsum. Vt A  
 "menstrua secundum naturam mensibus decre-  
 "centibus potius fiant; eandem ob causam acci-  
 "dit. Tempus enim hoc mensis frigidius est &  
 "humidius, propter lunæ decrementum defectio-  
 "nemque. Quo loco aperuit quoque causam, cur  
 "eo potissimum tempore, quo luna decrescit, pur-  
 "gentur menstrua: quia cum frigidus sit & hu-  
 "midus illud tempus, incoctus humor magis ab-  
 "undat.

Hoc ipsum tamen difficultatem habere vide-  
 tur, propterea quod humida omnia, quibus do-  
 minatur luna, in plenilunio potius abundant; vt  
 videre est in conchiliis & huiusmodi aliis. Egi B  
 hac de re pluribus in lib. de actione Cæli: vbi  
 plenilunij tempus ostendi calidius esse reliquo;  
 quia magis abundat lumen; quod cum corpo-  
 ris humiditatem mouere possit, non resolueret,  
 humidius efficit. Sed hoc verum est de humidi-  
 tate illa, quæ qualitas est inhærens corpori &  
 per ipsum sparfa. Hæc enim ab eo calore ad ex-  
 teriores partes vocatur; & idem hic ipse plenilu-  
 nij calor humidiorum fortasse faciet feminæ car-  
 nem sua natura mollem & humidam. Sed cum  
 sanguinis illa profusio non calore aut humidita-  
 tis euocatione fiat; sed frigore potius & inco-  
 ctione abundet in corpore: eo maxime tempore  
 decrescens lunæ abundat atque effunditur, quia  
 illud frigidius est. Accedit consuetudo naturæ  
 certaque in omnibus rebus periodus. Consuevit  
 enim stas temporibus singulas res efficere: illud  
 que constituit mensurorum tempus.

Non omnibus tamen mulieribus idem est tem-  
 pus: sed aliis atque aliis lunæ diebus: & quibusdam  
 plenilunio fluunt. Virgines ferè triduo purgantur;  
 molliores & otiosæ diutius, vel etiam per septi-  
 manam: & omnino pro varietate coloris, tem-  
 peramenti, ætatis, habitus, & anni temporis,  
 nunc parcius, nunc liberalius profluit sanguis.

Neque in omni animalium genere reperiu-  
 tur menstrua: sed in eo solum, in quo est san-  
 guis & semen: quodque intra se concipit sæ-  
 tum, & viuum parit. Nil enim aliud sunt men-  
 strua, quam sanguis, ex quo sætum concipi oportet.  
 Nisi enim in eum finem instituerentur, san-  
 nè potuisset natura pluribus aliis modis materiam  
 superfluum purgare. Postremò exitiosa prorsus  
 ac perniciosissima fertur esse sanguinis huius natura: de  
 cuius effectibus extant multa apud Hippocratem  
 libro primo de morbis mulierum & Plinium lib.  
 7. cap. 15.

DE MARIIS ET FOEMINÆ AD F.  
 procreandum concusum.

I Am verò ad tertium caput accedamus; ma-  
 risque ac feminæ ad procreationem concu-  
 sum exponamus. Principio illud accipiatur, quod  
 ab omnibus statui animaduerto: facultatem gi-  
 gnendi per semen bipartitam esse. Duplex enim  
 est illius opus, feminis preparatio, & formatio  
 sætus. Illa generationis instrumentum facit, hæc  
 opus exequitur. Prior, quæ procreatricis virtu-  
 tis nomen retinuit, in ipso duntaxat viuentem re-  
 sidet, quasi potioris ac præcipui agentis virtus:  
 posterior est in semine, vt instrumenti virtus,  
 prioris quasi vicaria. Prior igitur in plantis qui-

dem sparfa est & fusa per totum corpus, & præ-  
 fertim per ramos, in quibus gignuntur semina: sed  
 in animalibus principium habet atque originem  
 à corde, quemadmodum cæteræ omnes facul-  
 tates. In alia tamen quadam parte exercetur; de  
 qua Galenus & medici cum Aristotele ac Peri-  
 pateticis contendunt num ea in testibus, an in  
 seminariis vasculis relideat: atque in libro de etero-  
 geneis partibus à nobis pronuntiata senten-  
 tia est.

Vbiunque autem hæc virtus esse dicatur, si-  
 ue in meatibus duntaxat, siue etiam in testibus;  
 has omnes efficere debet operationes. Primum  
 trahere sanguinem ad illa vasa, hoc est partem  
 illam alimenti iam mutati, quæ mutari in se-  
 men debeat. Deinde magis illam coquere & per-  
 ficere in viscosam & albam materiam; sicut &  
 lac in mammillis coctione albescit. Tum verò cum  
 illa miscere spiritum, ex quo vim totam for-  
 mandam sætus accipiat. Postremò totam illam  
 massam pudendo in vterum feminæ velut sæ-  
 cundam terram conijcere: vbi cum sanguine  
 menstruo & semine feminæ permixta totum for-  
 mat sætum & producit animal. Itaque licet se-  
 minis materia pars quædam sit vltimi alimenti,  
 quod nutrientis virtutis coctione fuit mutatum;  
 quatenus tamen procreationis est instrumentum  
 ad gignendum aliud comparatum, eamque habet  
 qualitatem temperationem, qua & forma-  
 re sætum in vtero, & præparare materiam, &  
 animam demum producere possit: sic sanè ab  
 hac procreandi facultate perficitur, quæ partem  
 illam alimenti in spermaticis vasculis & testibus  
 susceptam variis ac miris modis afficit & tem-  
 perat, tandemque illi virtutem eam largitur.

Venio ad alteram virtutis huius procreatricis  
 partem, quæ formandi sætus & absoluedi ope-  
 ris vim habet. Hæc, quasi effectus est aut po-  
 tius instrumentum prioris, residetque in elabo-  
 rato iam semine. De qua ita loquitur Aristote-  
 les in 2. lib. de animalium ortu cap. 1. quod,  
 inquit, semen efficit, mouet cum aliquid teri-  
 gerit, quamquam non adhuc tangit: & motus,  
 qui inest, quodam efficit modo; vt ædificatio  
 ades; & quæ sequuntur. Inest autem, tamquam  
 accidens in subiecto, in spiritiosa illius parte  
 spumosa, & magis tenui. Eiusque obiectum seu  
 materia, circa quam velut artifex versatur, est  
 pars altera crassior & sanguinea in animalibus,  
 simul cum sanguine menstruo semineque femi-  
 neo. Ex his enim tamquam materia viuētis om-  
 nia membra format, totumque corpus absoluit.  
 Propria illius operatio est materiam illam alter-  
 rare, & alio atque alio modo disponere: tum  
 formare membra: quam ob causam forma-  
 trix virtus appellatur: animamque demum ex  
 materia illa opportunè disposita ac præparata edu-  
 cere; si fuerit materialis anima, quæ educi pos-  
 sit. Alteratione gignuntur homogeneæ partes, for-  
 matione eterogeneæ; vt in 1. lib. de naturalibus fa-  
 cult. cap. 5. adnotauit Galenus.

Verum tam admirabilis structuræ opus irratio-  
 nalis facultatis esse non videtur; sed artis opti-  
 mæ & principis: & Auerroës in comm. 21. lib. 7.  
 metaph. diuinam virtutem appellauit. Qui enim  
 fieri posset, inquit idem Galenus in libro de sæ-  
 tum formatione cap. 6. vt talis humor, qualis

In qui-  
bus sit  
aroma-  
bilis.

Cris-  
trix fa-  
cultas  
biparti-  
ta.

Semi-  
naria  
virtutis  
opera.

De vir-  
tute for-  
matri-  
ce.

Forma-  
trix vir-  
tus  
quid.

» apparet in femine, in tanto numero succedentium  
 » sibi motionum numquam aberreret, donec iustum fi-  
 » nem attingeret: nam sicut incredibile est, nullum  
 » in tanta partium multitudine errorem à fortuita  
 » motione committi; ita consequentem motus  
 » artificiosam ab aliqua irrationali substantia ef-  
 » fici, perinde atque aliqui dicunt, nimis audax  
 » est. Et rursus; si trecentorum membrorum  
 » structura spectetur, quorum singula decem scopos  
 » ac fines habeant, eoque feliciter assequuta sint;  
 » ad trium millium numerum omnes euadent. Et  
 » nondum tamen dixi id; quod maxime miran-  
 » dum in horum fabrica est; æquales prorsus esse  
 » in sinistris partibus musculos iis, qui in dextris  
 » sunt; arteriis item arterias; venis venas; ac ner-  
 » uis nervos: ut tria millia finium duplicanda  
 » iam sint. Idem est in ossibus; quæ ducenta sunt  
 » & amplius: quorum item singulorum fines decem  
 » cum sint; longè plures, quam duo millia, ef-  
 » ficiuntur: & duplicati quattuor millia & amplius  
 » euadunt. Eadem ars in visceribus omnibus, &  
 » demum omnibus partibus spectari potest. Ut si  
 » quis fines vniuscuiusque fabricæ numerare ve-  
 » lit, numerus omnium summam perfectionem as-  
 » sequutorum in myriadas, non chiliadas, rediga-  
 » tur. quos ego nequaquam nisi à sapientissimo ac  
 » potentissimo opifice factos esse crediderim. Ita-  
 » que etiam visus est interdum idem auctor forma-  
 » tricem hanc virtutem nil esse aliud existimare,  
 » quam viuificum calorem feminis, eiusque tem-  
 » peramentum; ut in comm. 15. aphor: lib. 1. se-  
 » tamen non satis exploratum habere, quid sit;  
 » fatetur ingenue, dum ex instituto de factuum for-  
 » matione differit.

Mundanam animam huius operis molitricem  
 esse, dixerunt aliqui; & ferè eo loco Galenus: nisi  
 quòd absurdum putauerit eam circa vilissima ani-  
 malia occupari. Alij intellectum ponunt, ut vni-  
 uersalem causam; plantalemque atque irrationa-  
 lem virtutem, ut particularem. Etenim rei ma-  
 terialis & corporeæ proxima causa materialis esse  
 debet & corporea. Quo argumento Auerroës  
 ideas negauit rerum corporearum procreatrices  
 causas esse. Nam si immaterialis causa naturalem  
 formam produceret; ea immaterialis esset & per  
 se subsisteret; neque genita quidquam cum pa-  
 rentibus commune haberent aut simile. Auerroës  
 igitur hanc virtutem in femine inclusam esse vo-  
 luit & per eius calorem agere. Non quòd sit for-  
 ma in eo, ut anima in calore natiuo: sed ut cæ-  
 lestis anima in cælesti corpore, qua separata cum  
 sit, per illud tamen omnia hæc inferiora guber-  
 nat. & idè Aristoteles intellectui fecit persimi-  
 lem. At dum eam Auerroës in femine ponit ut  
 intelligentiam in cælo & mouentem in mobili,  
 non ut formam in materia; subsistentem facit &  
 immaterialem. Quod si verum sit, quomodo à  
 generante profecta sit? qui credi id possit; in be-  
 liis & plantis præsertim? quomodo ab ea paren-  
 tum ac filiorum similitudo?

Aristoteles igitur in extremo lib. 4. meteoro-  
 rum exponens causam generationis animalium,  
 partes aut homogeneas quas alteratione fieri dix-  
 imus, à calido fieri & frigido, ut ab illis con-  
 crescunt; eterogeneas autem, quæ formatione  
 constant, aut à natura, aut ab alia causa formari.  
 Quamnam autem sit hæc alia causa, exposuit in 2.

lib. de animalium ortu cap. 3. Inest enim, in-  
 quit, in femine omnium quod facit, ut fecerit,  
 da sint femina: videlicet quod calor vocatur. Id  
 que non ignis, non talis facultas aliqua est; sed  
 spiritus, qui in femine spumosoque corpore con-  
 tinetur: & natura, quæ in eo spiritu est propor-  
 tione respondens elemento stellarum. Propter  
 & Simplicius animam generationis quoque prin-  
 cipium esse volebat eius, in quo est: & Themi-  
 stius ipsamet formare sibi corpus & instrumen-  
 tum fabricare inquebat; ut in comm. 42. ad-  
 notauit.

Sanè hæc si cum casu & fortuna comparatur,  
 rationalis virtus iudicatur. Certo enim constan-  
 ter, & ordinatè disponit omnia: & operatur per-  
 inde, ac si ratione & intelligentia operaretur.  
 Quippe à prima & suprema intelligentia, tum  
 vim eam accepit, tum conferuatur & dirigetur,  
 etiam ipsa ratione & intelligentia caret. Et alibi  
 Simplicius inferiorem naturam non tam mote-  
 re, quam moueri; non causam, sed conuersam  
 esse voluit. Porro & in tex. 80. lib. 2. Phys. de  
 araneis, formicis, hirundinibus, pluribusque  
 animalibus dubitatum est, num intellectu vte-  
 rentur; propter admirabilia opera; quæ tamen  
 non intellectu, sed naturæ instinctu & ductu con-  
 stare creduntur: neque opus habere cognitionem  
 in tex. 86. demonstratur. Hæc enim est naturæ  
 conditio, ut ordinatè & ad certum finem agat,  
 neque aliter agere possit: quoniam ita ab illius  
 parente Deo instituta fuit. Itaque tam admi-  
 rabilis apparatus in animalis corporis formatione  
 in Deum tandem, ut primum auctorem & mo-  
 deratorem, referendus est, meritoque Galenus  
 pluribus in locis ex sola huius fabricæ contem-  
 platione Deum exclamare & prædicare coactus  
 est.

Proxima tamen causa est generans, atque illius  
 instrumentum semen per inlitum ei calorem &  
 proprium ipsius temperamentum. Neque alia  
 esse potest causa, cur quorundam semen fecerit-  
 dum; sit, aliorum infœcundum: curque matris se-  
 men agendi & formandi vim habeat, non item  
 humor is, qui ex femina velut inchoatum & mi-  
 nus elaboratum semen fluit. Alia inquam causa  
 esse non potest, quam calor & temperamenti  
 conditio: qua ut est generantis instrumentum  
 potest & homogeneas & eterogeneas partes to-  
 tumque corpus fingere ac formare. Inde etiam  
 filiorum ac parentum similitudo. Quoniam in  
 vnoquoque genere conatur agens sibi simile pro-  
 creare. Nec vlla fierent monstra, nisi agens ef-  
 fet particulare, quod à scopo naturæ proposito  
 aberraret interdum. Quòd si hanc virtutem inter-  
 dum legas separatam quidpiam esse ac diuinam  
 propterea id dictum intelligas; tum quòd ab ani-  
 malis corpore, à quo deciscum est semen, & cuius  
 instrumentum existit, verè sit separata: cuiusque  
 reliquæ omnes viuentis operationes absoluantur  
 in ipso, habeantque in eo principium & instru-  
 mentum coniunctum; sola hæc virtus ab eo sepa-  
 rata est; & ita separata, ut multo post tempore, vel  
 etiam animali mortuo, perficiat opus suum: per-  
 inde quasi non ut alterius instrumentum, sed in-  
 sita sibi que propria virtute ageret. Tum quòd di-  
 uinum planè quidpiam videatur, dum supra suam  
 naturam animatum & sentiens producit, & vero  
 intelligens

intelligēs, si corporis dispositio spectetur ac iudicium sensuum; quibus perinde homo ex hominis femine, ac planta aut equus ex planta & equi femine produci videtur: cum tamen semen nec vivat, nec sentiat, nec intelligat. Accedit uniuersa illa, quam diximus, structura corporis, partiumque singularum vsus, atque omnium simul compositio & nexus, mutuaque dependētia. Quæ semen plane ostendunt in tam admirabili opere perficiendo ab occulta & latente supremi opificis Dei virtute moueri ac dirigi; quidpiamque esse ab omni corpore separatum ac diuinum, quod præter semen agat. Naturalis enim virtus ad vnum determinata nunquam posset tam multa tamque diuersa & admirabilia efficere ac tam ordinatè disponere; nisi à superiore diuina intelligente causa duceretur ad agendum atque in actione dirigeretur. Nam verè hec operatio per se considerata artis & intellectus esse videtur, non nature. Quippe ex vna & simplici materia multiplices ac diuersos effectus producere, vt ex ligno abacum, lectum, cathedram, mensam, scammum; atque ex sanguine carnem, os, neruum, arteriam, venam, cartilaginem, artis est & intellectus, non nature.

Non minorem habet difficultatem & verò etiam admirationem appetitus ille, quo & mas & femina ad procreandum accedunt. Pudentorum nature, inquit in Timæo Plato, in viris iusta vis inobediens ac imperiosa, & quasi animal non exaudiens rationem, furiosarum libidinum violentiæ, subicere sibi cuncta conatur. Vulua quoque & vterus in feminis pari ratione animal auidum generandi, si intempestiue diuque à generando abstinere, ægrè fert moram, plurimumque indignatur. Appetitum hunc constar fuisse illis institutum à natura, vt ad eum allicerentur actum, qui conseruationi speciei erat in primis necessarius. Sed in animalibus dixit Hieronymus Cardanus in 7. lib. de subtilitate marem à femina trahi, in rebus autem inanimis feminam ad marem moueri. Cuius rei nec rationem exposuit, nec vllam (vt mihi quidem videtur) exponere potuit. Nam vt sexuum hanc diuersitatem ac distinctionem mittam in rebus inanimis haud propriè nominari: coeundi ac gignendi appetitus non nisi in animalibus reperitur: atque in his ipsis non solum mas appetit feminam, sed femina quoque marem; eademque est in vtroque appetentiæ ratio: quoniam vterque sexus est ad gignendum speciemque conseruandam necessarius: & si mas appetit feminam, vt in ipsa aliquid gignat; femina quoque appetit marem, vt ab eo aliquid procreet. An verò maris an feminæ appetitus maior; disputari sanè posset. Sed pudori consulendum est.

Illud quæri potest cur hic appetitus reliquarum ferè specierum feminas non nisi certis quibusdam temporibus sollicitet; in humana verò & aliis quibusdam feminæ & semper appetant & semper sustineant marem. Huius rei causam esse opinor, quod quædam sunt animalium species frigidiores, aliæ calidiores: quædam, quæ non omni tempore possunt concipere; aliæ semper possunt. Quare cum appetitus ille ad procreandum referatur; vs, quæ semper procreare possunt, perpetuus fuit institus appetitus; reliquis eo solum tempore, quo ad concipiendum erant idoneæ. Aliis siquidem temporibus frustra & magna cum molestia fuisset da-

tus. Maribus perpetuus propemodum videtur inesse; quòd calidiores sint, & apti semper procreare; si semper habeant feminam, in qua procreare queant. Accedit & vterilitus & conformatio. Muliebris. n. præsertim vterus profundior est, eiusque ceruix oblongior maris amplexum minusque longum pudendum facilius sustinet. Bestiarum ferè vterus factu concepto magis extuberat, & ori externo maximè propinquus fit; nec sine lesione congressum maris sustinere potest. Sed & verissimum est illud Aristotelis in problem. 46. lect. 10. Venus comes satietatis est. Perpetuum hominis appetitum in generis nobilitatem retulit Iulius Cæsar

Scaliger exercit. contra Cardinum 131. cap. 4. Melius perpetuam exposuit gallinarum appetentiam; quòd earum fecunditas vtilitates adferret hominibus maximas.

Sed illud est diligentius considerandum, quod inter Philosophos & medicos nunquam fuit constitutum; an femina agendo, an solum patiendo materiæque suppeditando & maris actionem sustinendo, ad procreationem concurrat. Aristoteles in primo lib. de animalium procreatione cap. 2. 18. 19. & 20. & lib. 2. cap. 4. & 5. & lib. 7. Metaph. tex. 31. & lib. 8. tex. 12. totam agendi vim tribuit mari, feminamque voluit patiendo solum concurrere.

Quam ob causam artificum marem, ligno feminam comparauit; quòd ille efficiat, formet corpus, & det animam; hæc materiæ formandam & animandam subiciat. Femina, inquit in cap. 4. citato, semper materiam prebet, mas vim creandi; corpus igitur ex femina est, anima ex mare. Idem senserunt Auerroës, tum in eorum Aristotelis locorum expositione, tum in 2. colliget cap. 10. & Auicenna in lib. 9. de animalium natura, & Albertus in lib. 15. & 16. de animalibus, & S. Thomas in 3. parte summa quæst. 32. art. 4. & Caletanus in comment. eius loci, & 2. ad art. 12. quæst. 154. alique complures, tum Philosophi, tum Theologi; & ex medicis copiosè hac de re differuit Dinus in comment. lib. Hippocratis de natura fœtus.

Primum enim id suadere videntur sexuum distinctio maris, & feminæ, diuersaque organorum conformatio, quæ procreationi dicata sunt. Quippe hæc duo satis aperte possunt ostendere, marem agere, feminam pati alteriusque actionem sustinere. Deinde distinctio patris & matris: quòd ille scilicet agat, hæc patiat; nam si ageret quoque mater, quemadmodum pater; posset & illa pater appellari. Tum verò contra suam omnem voluntatem & nihil agentes nullumque semen emittentes concipiunt interdum feminæ: & narrat Auerroës, mulierem quandam lauante in balneo, in quo viri quidam non multò antea sparserant semen, concepit fœtum, sola illius feminis in vterum attractione. Idem & nostra tempestate accidisse à fide digna ipse accepi & sapius factum testatur Egidius c. 6. lib. de fœtus formatione, vt virgo sterit ab eo fecundata, qui eam non potuit violare, attracto scilicet femine extra vterum sparsa. Quæ tamen magnam habent difficultatē. Tum quia vt sit conceptus, cum femine viri adesse quoque oportet femineum semen, quod eo tempore vix adfuerit. Tum quia virile semen prodidit Aristoteles expositum aëri refrigerari statim, liquecere, & infœcundum reddi. Immo eos, quibus prolongum pudendum,



infecundiores esse; quod ob viam longitudinem refrigeretur semen. Quod in proprio vase refrigeratur & fit infecundum; quid si effundatur in aërem aut aquam? Affirmant tamen mulieres sæpius expertæ, se interdum sine coitus delectatione concepisse, hoc est sine seminis effusione. nam hæc adiunctam habet delectationem, nec raro vidimus reitentes ac viro reluctantes concepisse. Immo verò cum materiam formando sætui suppeditet femina, sanguinem menstruum; si ea vim item haberet agendi, nulla indigeret maris coniunctione; sed sola posset integram prolem absolueret. Posset enim tantopere augeri agendi virtus femina, ut virtuti maris esset æqualis; possetque sine illa concipere sætum. Mas quidem certè solum videtur agendo concurrere, non item patiendi. Qui igitur credi potest, femina, quæ læsum est animal & imperfectum, & verò etiam naturæ monstrum, virtutem utramque fuisse tributam? An non cum in omni natura respondere oporteat cuique agentis aliquod patiens, ut in tex. 18. li. 3. ratio cinabitur Philosophus; credendum potius est patiendi vim datam fuisse feminae, quæ optimè actioni maris responderet? Mihi verò id eò fit verisimilius, quòd etsi ea quoque præter menstruum sanguinè semen aliquod ad procreandum sætum conferat: illud tamen adeò est vel ipsius Galeni confessione imperfectum, æqueum, impurum, & incoctum; ut nullo modo credi possit diuinissimam habere formandi ac gignendi virtutem, quæ in femine maris viget: sed potius, ut est apud Auicennam & Dinum omonymè semen sit appellandum: & ille non semen, sed aquam, pluribus in locis nominavit. Frigidior enim est femina quàm ut semen tantopere possit coquere, ut agendi vim habeat. Imbecillitas quædam, inquit Aristoteles cap. 20. li. 1. de animalium ortu, femina est; quòd semen ex ultimo alimento coquere nequeat. Tunc etiam producitur femina, quando semen maris minus est siccum, minus calidum, minus robustum & efficax; neque maris potest productionem assequi. Tunc enim natura, ne prorsus frustra egisse videatur, feminam saltem procreat: & si non potuit procreare agens, procreat saltem id, quod agentis alterius virtutem & actionem suscipiat. Quod si ea virtutem utramque haberet, agendi & patiendi; perfectior sanè esset, quàm mas. Illud denique in hac sententia firmanda opinor mente concepit Aristoteles; semen maris per se sufficientissimum esse ad agendum & formandum; nec aliud quiddam desiderari in femina, quàm ut illius actioni materiam aliquam formandam subiiceret.

Ex sacris quoque nostris doctoribus, dum de primi parentis culpa disputant, efficax sumere licet argumentum. Si solus, inquiunt, Adamus, & non Eva, peccasset; nihilominus illius culpa in omnes posteros derivata fuisset: at si sola deliquisset femina, non vir, femina scelus nequaquam posteris infecisset. Hoc verò satis potest nobis persuadere, solam à femina suppeditari materiam; naturæ propagandæ vim culpæque transfundendæ efficacitatem penes mare esse. Quam inter cæteras putant fuisse causam, cur servator noster Christus de femina absque maris opera nasci voluerit.

*Galenus committit opinio.* Verum quid contra hæc Galenus disputet considerandum est, ne indicta causa homine condemnasse videamur. Is duobus libris, quos scripsit de

A femine, quem plurimi sequuntur medici, & ex Theologis S. Bonaventura, Scotus, Ockhamus, Gabriel in 3. sent. lib. feminam quoque contendit & semen emittere, & agendo concurrere; non quidem primaria actione, quemadmodum mas; sed secundaria & quasi à maris actione pendente: atque ex utraque vnum existere efficiens principium, vnumque motum. Nam cum ea præter sanguinem menstruum humorem etiam quemdam emittat femini maris persimilem, is cum sanguine menstruo permixtus parte quidem crassa & corpulenta materiam præbet nervis ac venis, quæ formari ex sanguine non potuerunt; parte autem tenui & spiritali cum femine maris coniunctus vim quandam agendi habet & procreandi.

Quod indicare primum possunt testes & spermatica vasa, quæ in feminis item à disseccantibus visuntur testibus ac vasibus maris similia. Deinde voluptas, quam illæ in coitu sentiunt. Tum pollutio, quæ dormientibus ac somniantibus non minus, quàm viris, accidit. Immo & voluntaria ac procurata mollities; quæ grauis propterea indicatur culpa, quòd semen perdant, quod ad gignendum natura parauerat. Filij quoque non patri modo, sed & matri nascuntur per hæc similes. Hoc enim argumento est, in utroque parente vim inesse agendi, modo in hoc, modo in illo superiorem. Quam ob causam Hippocrates, tum in mare, tum in femina, semen voluit esse, tum masculinum, tum femineum; hoc est fortius interdum & robustius, interdum debilius: illudque producere marem, hoc feminam. Fieri tamen non posse partum omni ex parte vni parenti similem; sed aliquam semper cum utroque similitudinem esse; quoniam ab utroque semen in partum procedit. Immo verò gallinæ absque maris coitu pariunt ova, quæ ex se potestatem agendi ac gignendi habeant. Denique mas & femina eiusdem sunt speciei, eademque oportet facultates habeant, feminaque item ut mas procreando agat.

Hæc ferè Aristoteli obiciuntur. Cuius sententia certissimis Philosophiæ principijs nititur, quæ ex actionis & passionis, agentisque & patientis natura sumuntur. Nam etsi dubitent nonnulli, an is feminam crediderit semen vnum præter menstruum sanguinem emittere: quoniam tamen in corporibus disseccandis non parum fuit exercitatus, dum testes & vasa seminis asperxit, existimandum potius est, eum non ignorasse aliquem illorum esse usum; atque in illis aliquem inesse humorem, qui ad vulvæ cornua amittatur in coitu: quod apertis verbis fatetur in primo lib. de animalium procreatione cap. 20. & lib. 1. cap. 4. Noluisse tamen humorem illum appellari semen. Tum quòd propter caloris imbecillitatem minus perfectus est & coctus: & ideo nec agendi vim habet, quæ in femine maris inest: immo hoc ipsum, si minus fuerit calidum, infecundum nec satis ad agendum efficax esse existimatur. Tum quòd femineos illos testes minus perfectos ac solidos esse vidit: minusque calidos ac spirituosos, quàm ut perfectum semen efficere possent. Humor hic feminis eam ob causam maxime in coitu fluit: tum ut delectatione, quam fluendo adfert, ad actionem speciei conservandæ in primis necessariam allicerentur à qua alioqui abhorretent maris gnopere; tum quia patiatur; tum quia gestando fertur, pariendo, & educando laborant plurimum, sæpeque

sepeque percipiatur: tum vt esset veluti alimentū ac temperamentum calidiori & sicciori semini maris: tum vt vuluē cornua obliniret, ad quæ semē maris non pertingit: tum vt os vuluē leniretur, quōd facilius in eam semen maris deflueret; vuluā que replendo virilis seminis motum prohiberet, atque ad illud retinendum conferret: & verō etiā delectationem auget, quæ in illius susceptione percipitur. Sicut enim maior est cibi delectatio, si opportunē fuerit lingua humectata salina; ita cum delectatione maiori semen maris in vulua suscipitur, si ea fuerit feminæ humiditate linata. Tum verō vt facilius conceptio esset, nam & conceptionis initio vuluam oportet esse humidam, deinceps siccam; & dum susceptione seminis maris delectatur vulua, facilius concipit, eo enim cum delectatione suscepto clauditur, susceptumque conseruat & fouet; cumque interdum calidior sit vulua, & maris item semen calidum & crassum; & idēdō fetus aut non concipiatur, aut conceptus pereat; femineo illo humore tenuiori ac frigidiori optimē temperantur. Ac demū vt ex eo, tanquā frigidiorē faciliusque conseruente, coegetur pāniculus, qui genituram fouet in vtero: aut etiam simul cum sanguine menstruo, incocto scilicet & imperfecto, vim haberet materiæ, quæ calidioris ac perfectioris seminis actioni subiceretur. Ne quis tamen cum existimet esse ad gignendum omnino necessarium. Quoniam absque delectatione vlla humori sue decisione interdum feminæ conceperunt: & si materiam suntaxat præbere debet, satis copiosam sanguis suppeditabit.

De filiis. Neque enim ex filiorum & matrum similitudine cerum petitur argumentum. Tum quia per se accidit, vt neutro parenti partus sit similis: sed aut auis, aut alius, qui nec agendo, nec patiēdo procreationem quidquam iuuerunt. Tum quia si ea similitudo adfit, aliam prorsus habet causam, quam Philosophus in li. 4. de animalium procreatione ca. 3. exposuit. Ea est proportio seminis maris, quod agendi vim habet, cum materia, quæ à femina suppeditatur. Inde namque similitudo sexus nascitur aut diuersitas. Aut enim semen maris calore & siccitate abundat plurimum, omninoque menstruum sanguinem aut etiam humorem ex femina decisum superat: aut est penitus debile, frigidius & humidius, atque à reluctante contumaciæ materia vincitur: aut demum nec omnino vincit, nec penitus superatur. Et similitudo, aut in sexu, aut in complexione, aut quantitate, colore, aliusue accidentibus corporis consideratur. Si maris semen excefferit plurimum, omninoque promptam & obedientem feminæ materiam potuerit subiugare, filius procreabitur perquam similis patri, tum sexu, tum complexione & aliis accidentibus omnibus, quæ ex procreationis principiis pendunt. Potestque hæc virtus tantopere dominari, vt non naturalibus modō accidentibus, sed agnitiuis quoque interdum similis producatur, claudusque claudum procreet, & stultus stultum.

2. Quod si virtus seminis sit prorsus debilis & infirma, atque à robusta pertinaci; materia vincatur, trahetur ad motum contrarium, matrique omni ex parte similis existet soboles. Cum enim à fortiori materia seminis virtus debilitetur nec possit sibi simile procreare; accommodat sese materiæ, illiusque condiciones sequitur: vt si non eum, quē

vellet; eum certē, quem potest, actionis suæ terminum consequatur. Ita pierumque fit, vt filie similes sint matri, & filij patri. Verū tamen affirmare licet; si fetus matri nascatur similis, id ex accidenti fieri: non minus, quā in artibus per sepe euenit: vt propter contumacem atque inobedientem materiam non fiat opus artificis; idēdō omni ex parte simile. Sic enim in natura semen maris speciei quidem similitudinem obtinet, homoque hominem gignit: at propter difficilem rebellemque materiæ conditionem euenit, vt in indiuiduo nec sexus nec accidentium complurium similitudinem habeat. Ita nimirum de sexu philosophabatur Aristoteles, cum feminam affirmauit ex accidenti procreari; ne cum mas fieri non potuerit, frustra omnino egisse natura videatur. De complexione & accidentibus cæteris idēdō pronuntiare licet.

3. Iam si agens tertio modo se habeat; nec omnino vincat materiam, nec ab ea penitus superetur; aut æquales omnino sunt virtutes, nec altera potest alteram subiugare. Ita Hermaphroditus existit; in quo sexus vterque, parentisque vtriusque similitudo copulatur. Interdum etiam tertia species, quemadmodum ex asino & equa mulus. Semen enim materiam habet resistentem nimis, & æquis penē viribus reluctantem; nec eam potest ad suam formam trahere. Quare dum vtrinque certatur, ad tertium natura declinat. Aut semen in vno vincit, & in altero superatur. Ita fit soboles in vno similis patri, & in alia matri. Nam si efficax sit in productione sexus, sed debile in complexione; patris quidem erit sexus, sed complexio matris. Sin debile in sexu, & efficax in complexione; sexus erit matris, & complexio patris. Ita & viri existunt effæminati, & feminæ viragines. Illi sexum habent viri & complexionem feminæ; hæc sexum feminæ & complexionem viri. Idēdō in accidentibus reliquis intelligi volo.

4. At quoniam progenitorum virtus vsque ad quartam generationem conseruatur in semine; potest feminis virtus aut menstrui fortior esse quoad progenitorum motum, quā patris aut matris. Hæc est causa, cur nascatur interdum nec patri similis, nec matri; sed auo, proauo, aut atano; siue patris, siue matris. Inde etiam morbi, quos hereditarios vocamus.

5. At magis mirū videtur, quōd nec patri, nec matri, nec progenitorum vlli non numquā similis sit. Id præter naturam quidem euenit; sed tamen duplicē habet causam. Aut contumaciam nimiam & inobedientiam materiæ; quæ ad solius substantiæ ac speciei, non item accidentium, similitudinem trahi potest. Aut vehementem & fixam coitus aut

6. conceptionis tempore matris imaginationem. Vix enim credi potest, quantam hæc vim habeat: nec solum potest imaginantis corpus immutare, sed in conceptum quoque aut concipiendum factum vim suā conferre. Querit Aristoteles in problem. 12. sect. 10. cur cæterorum animalium proles magis, quā hominis, parentibus suis similes fiant. Quia, inquit, homo vago varioque plerumque in cōgressu est animo: vtque pater aut mater in conceptu affecti sunt ita partus euariant. Hinc Galenus in lib. de Theriaca ad Pisonem cap. 9. artem formosos filios procreandi docet. Cum de formis, inquit, vir formosum procreare filium vellet, puellum formosum in tabula pingendum curauit; atque vxori iussit, vt cum veneris rebus vteretur, in

Imaginationis vis in coitu.

illam intueretur picturam. Illa verò defixis oculis tabulam respiciens, puerulum non patri, sed picto puero similem peperit. Contra, feminam quandam scribit Auicenna in 9. de animalibus lib. hominem valde nigrum peperisse, cum ambo progenitores essent albi; quod nigram ob oculos picturam habuisset: & gallinam Albertus peperisse pullos cum accipitris rostro; quòd eiusmodi animal imaginatione verisisset. Sed & in sacris historis celebris est illa Iacobi industria Gen. 30. cap. vt in aspectu virgarum varij coloris maculosa pecora conciperentur. Propterea coniuges nolebat Hesiòdus liberis operam dare, dum redirent è funere; sed cum à coniuiuis vel ludis. Illegitimi quoque filij similes interdum mulieris marito nascuntur; quòd illum, siue ex timore, siue alio modo, imaginetur adultera mulier. & quidem hac de re satis.

6. Porro ad vnicam hanc masculini & feminini sexus generalem causam decem illa reuocatur, quas commemorauit Egidius; qualitas feminis, quantitas, ætas, dispositio testis, à quo decisum est semen, locus vteri, complexio menstrui, qualitas cibi & potus, dispositio aeris, ventorum conditio, ac celestis demum influxus. Hæc enim omnia eò tandem spectant, vt calidius semen, atque ad agendum & subiectam sibi materiam debellandam robustius; aut minus calidum minusque robustum sit.

At enim gallinam inquirunt absque maris coitu oua parere subuentanea. Esto: sed ex illis pullus non nascitur. Verum ex iis duntaxat, quæ ex coitu proueniunt. Quod Galenus fatetur in lib. 14. de vsu partium cap. 7. Vt ex hoc ipso intelligatur solam procreationis materiam præbere gallinam, vimque totam formandi atque ex illa materia gignendi viuens petendam esse ex mare. Quod enim ait Galenus, deesse illi aliquid ad perfectionem; nempe caliditatem à mare: hoc ipsum est, quod formandi animalque procreandi vim habet.

Denique si ex eo, quòd mas & femina eiusdem speciei sunt, eisdem licet colligere in vtroque facultates: marem quoque conficiemus vim habere patiendi, quam omnes fateantur in sola femina residere. Est igitur in vtroque sexu eadem procreandi facultas, quòd vterque debeat ad procreandum concurrere: at non eodem modo: alioqui quid sexuum diuersitate opus fuisset? sed mas quidem agendo, & vt ait Philosophus, formam & animam dando: femina autem patiando, hoc est suppeditando materiam; marisque actionem sustinendo. Nam & sanguinem menstruum subministrat, & semen maris suscipit, retinet, ac fouet: tum verò formatum factum vtero gestat, multoque nutrit tempore. Quæ omnia passionem nimirum significant; qua & suscipiatur & conseruetur id, quod fuerit à mare profectum.

*De factis in vtero formatione.*

Venio ad quartum propositionis meæ caput; in quo exponendū superest, quemadmodum ex semine maris feminæque menstruo formetur in vtero foetus. Cum solus mas vim totam habeat efficiendi ac formandi; relinquatur humorem illū, qui feminis loco fluit in feminam, simul cum sanguine menstruo materię vices tenere. Immo cum semen quoque maris duplici constet parte: aërea

*Seminis duplex pars.*

A vna, tenui, spiritosa, & spumosa. Quam ob causam optimi & laudabilis sanguinis spumam appellauit Pythagoras. & in 2. lib. de animalium procreatione cap. 2. veteres laudat Philosophus, quòd concubitus Deam à spumosa feminis natura nominassent. Et in Cratylo Plato explicat magis Hesiòdo contradicendum non esse ait Venerem à spuma, quam generat, aphroditem appellanti. Altera magis aqua, crassa, tenaci, & viscosa; in qua prior illa quasi sustentatur. Posterior hæc pars cum sanguine menstruo & humore foemineo permixta rationem subit materię.

B Scio non defuisse, qui secus senserint; totamque semen maris voluerint agere, nec vllam illius partem pati velut materiam: quoniam efficiens causa & materialis in vnam conuenire non possunt. Sed aut formato foetu euanescente totum atque in vaporem dissolui, perque corporis meatus exhalare: quemadmodum Aristotelis in 2. lib. de animalium procreatione cap. 3. verba illa confirmare videtur; Genitura semen dissoluitur, verum quæ in spiritum euanescit, cum naturam humidam aqueamque habeat. Aut totum secerni, & ex vtero foras emitti perfecto opere. Quam sententiam eo loco reprehendit Philosophus. Aut spiritus demum ac tenuiorem partem euanescere; aqueam & crassiorem cum cæteris superfluitatibus emitti ex vulua. Sic enim Auertoi placuit Aristotelis verba interpretari.

Mihi verò rationi magis consentaneum visum est semper, aëream quidem partem, spiritolam, tenuem, quæ agendi vim habet, absoluta actione materia ad quam fuerat destinata, euanescere proflus ac dilabineque ea, quæ contra disputauit Galenus in cap. 4. prioris lib. de femina, momenti quidquam habent ad refellendum. At crassiorem alteram partem ita cum sanguine menstruo & feminæ semine permisceri, vt ex omnibus simul permixtis totum animalis corpus formetur. Humida enim & liquida protinus permiscetur: & Hippocrates ac Galenus maris ac feminæ semina permisceri fatentur. Imò hæc fuerunt Hippocratis verba in 1. lib. de diæta; si quis animam animæ. 1. semen feminis misceri perneget, amens esto. Itaque quoniam materiam remanere oportet in eo, quod ex ipsa efficitur; pars hæc feminis in formato foetu conseruatur. Neque hinc conficias, aut efficientem causam & materialem conuenire in vnam; aut marem patiando ad procreationem concurrere. Nam & in plantarum seminibus quidpiam est in supremæ eorum parte, quod agendi vim habet; & reliquam materiam præbet: & animalium semen non est totum vnius & simplicis naturæ; sed duæ in eo partes separantur, quarum altera agentis, altera materię vim habet. Neque illud dicitur patiando concurrere, quod materiam, aut materię quidpiam tribuit: sed illud, quod seipsum alteri subijcit, eiusque actionem suscipit; siue materiam aliquam, siue nullam omnino conferat.

E Ita ex sanguine solo partes formantur omnes, siquidem semen ipsum sanguis est. Et quidem rationi maximè consentaneæ. Quippe ex his nutritur vnumquodque, ex quibus constat; eademque sunt conseruantes causæ, quæ procreantes fuerunt. Ex nutritione igitur, qua conseruantur corpora nostra, de prima illorum formatione ratiocinemur. Omnes corporis partes, licet distinctissime naturæ ac temperationis, sanguine nutriuntur & sustentantur.